Tritum autem tetrardum garrulitas magis placet. Alter eidem plage suavitate probat. sicque de reliquis. Nec mirum si varietate sonorum delectatur auditus. cum varietate colorum gratulatur visus. varietate odorum foveatur olfactus. mutatisque saporibus lingua congaudeat. Sic enim per fenestras corporis habilium rerum suavitas intrat mirabiliter penetrabilia cordis. Inde est quod sicut quibusdam saporibus et odoribus et etiam colorum intuitu salus tam cordis quam corporis vel minuitur vel augescit. Ita quondam legitur. Quidam freneticus canente asclepiade medico ab insania revocatus. Et item. Alius quidam sonitu id est citare in tantam libidinem incitatus ut cubiculum puelle quereret effringere dementatus. Moxque citaredo mutante modum voluptatis penitencia ductum recessisse confusum. Item et david saul demonium citara mitigabat et demonicam feritatem huius artis potenti vi ac suavitate frangebat. Que tamen vis solum divine sapienciae ad plenum patet. Ab inde Nos vero que in enigmate habemus de principio dearticulate virtute ipsa pauca libavimus. Sed quibus ad bene modulandum rebus opus sit videamus.

Igitur quemadmodum in metris sunt littere et sillabe partes et pedes ac versus. ita in armonia sunt ptongi id est soni. quorum unus duo vel tres aptantur in sillabas. ipseque sole vel duplicate neumam id est partem constituunt cantilene. et pars una vel plures distinctionem faciunt id est respirationis congruum locum. de quibus illud est notandum quod tota pars compresse et notanda et exprimenda est. sillaba vero compressius. Tenor vero id est mora ultime vocis qui in sillaba quantuluscumque est. amplior in parte. diuturnissimus vero in distinctione signum in his divisionis existit. sicque est opus ut quasi metricis pedibus cantilena plaudatur. et alie voces ab aliis morulam duplo longiorem vel duplo breviorem aut tremulam habeant id est varium tenorem. quem longum aliquotiens apposita littere virgula plana significat. Ac summopere caveatur talis neumarum distinctio. ut cum neume tum eiusdem soni repercussione tum duorum aut plurium coniunctione fiant. semper tamen aut in numero vocum aut in ratione tenorum neume alterutrum conferantur atque respondeant. Nunc eque equis. nunc duple vel triple simplicibus. atque alias collatione sesquitercia vel sesquialtera. numo



DE COMMODA COMPONENDA MODULATIONE.

Proponatque sibi musicus quibus ex his divisionibus incedentem cantum faciat sicut metricus quibus pedibus faciat versum. nisi quod musicus non se tanta lege constringit. quia in omnibus se hec ars in vocum dispositione rationabili varietate permutat. quam rationabilitatem etsi sepe non comprehendamus. rationabile tamen id creditur quo mens in qua est ratio delectatur. Sed hec et huiusmodi melius colloquendo quam conscribendo monstrantur. Item ut more versuum distinctiones equales sint et aliquotiens eedem repetite. aut aliqua vel parva mutatione variate. Et cum perpulchre fuerint duplicate habentes partes non nimis diversas. et que aliquotiens eedem transformentur per modos. aut similes intense et remisse inveniantur. Item ut reciprocata neuma eadem via qua venerat redeat.